

Q. D. B. R.

MATHESIN PURAM

Utilissimum Mentis Humanæ in Cogno-
scenda rerum veritate subsidium

*SERENISSIMO PRINCIPE
AC DOMINO*

DN. JOANNE GVILIELMO,
Duc. Saxon. Jul. Cliv. ac Mont. &c.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO



Amplissimæ Facultatis Philosophicæ indulcu,

PRO LOCO

in eadem obtinendo

P R A E S E S



M. JOHAN. ACHATIUS COLERUS,

Mathem. & Hebr. Linguæ in Gymnasio Coburgensi

Professor designatus

publicæ Eruditorum disquisitioni sicut

Respondente

JOHANNE GEORGIO MITLACHERO

Barutho- Franco.

Ad d. 30. Jun. A.C. M DC LXXXVIII.

Mathem.

119,4

**J E N Æ
TYPIS KREBSIANIS.**

*math.
P. gen. V. 51 (h. math.)*

I. N. 3.

§. I.

MAthesin uberrimam commodorum & jucunditatum in res humanas emergentium scaturiginem esse, nemo mortalium temere negabit, nisi & suæ indigentiaæ & bonorum, quibus quotidie perficitur, immemor haberi velit.

§. 2. Quamvis enim tempore Pythagoræ, qui primus Mathematicas disciplinas ex Ægypto in Græciam transtulisse fertur, angustis valde terminis ex inclusæ fuerint, adeò, ut non nisi quatuor Matheseos partes numerarint, Arithmeticam scilicet, Geometriam, Musicam & Astronomiam; nec etiam hunc inseclusus Plato limites earum ampliaverit, quippe eandem divisionem retinens, nisi quod Geometriæ, strictius pro Planimetria sumtæ, Stereometriam adjunxerit, eo quod aliæ suo avo nondum cognitæ, vel certe non satis excultæ, aut in numerum Mathematum receptæ fuerint; brevi tamen post Platonem tempore, cum disciplinæ illæ, ejus præsertim commendatione excitatæ, admodum floruerint, jam plures isti Mathematum quadrigæ (de qua nonnulli *τεατυν* Pythagoricam intelligunt,) ab ipso Aristotele adjectas esse legimus, Opticam puto, Mechanicam & Geodesiam: Donec tandem subsequentibus temporibus, accedente diligentiori cultura, pulcherrimæ hæ scientiæ ulterius excultæ, & suis velut numeris absolutæ fuerint;

Is. Barrov. in lect. Math. II.

A 3

adeo

4.

adeo, ut dudum *Geminus*, celebris circa *Julii Cæsaris* tempora Mathematicus cum aliis, autore *Proclo*, instituta partitione qualicunque, præcipuas disciplinas Mathematicarum nomine hodienum insignitas exhibeat.

§. 3. Istum ergo Mathematum, tam purorum, quam mixtorum. quæ vocant, &c, quæ his adjungi solent, vulgarium seu artium Mathematicarum latissimū, quo hodie præsertim gaudemus, campum, si diligentius paucio perpendamus, sane Matheſin plerisq; disciplinis & artibus, ad vitam socialem commode & faviter degendam necessariis, quasi coextendi, atque ideo præcipua vita nostræ oblectamenta, salutis incrementa & præfidia laborisque compendia eidem accepta ferenda esse, pio agnoscemus affectu.

§. 4. Illud saltē dolendum, quod, cum omnes quotidiano uisu & experientia convicti, utilitatem Mathematum mixtorum & vulgarium, per cælos, terras & maria vagantem hominem semper comitantem, & in iis maxime, quæ ad corporis & fortunæ bona promovenda pertinent, conspicuam, satis cognoscant, & tantorum commodorum fruitionem communī consensu appetant & amplectantur, paucissimi tamen inveniantur, qui ad Matheſin puram & proprieſic dictam, Arithmeticā, Geometriā & in specie Analyſin speciosam animū ferio applicent, & quæ ex eadem in nobilissimam hominis partem, mentem scil. redundant emolumenta strenue & efficaciter expetant. Qua ratione quam plurimi & se ipsos & alios, qui se ipſorum informationi commiserunt, saluberrimis privant aſſiniculis, quibus ingenia obtusa acui, luxuriosorum arrogantia deprimi & nullo certius filo per intricatos rerum absconditarum anfractus errantium vestigia regi & in veritatis tramite contineri possint. Quamvis enim non pauci inveniantur, qui summam illam Arithmeticæ & Geometriæ utilitatem fateantur, & eoram aliis etiam deprædicent, plerique tamen confuse tantum eam cognoscunt, & quod ab aliis magni

magni nominis Philosophis scriptum & dictum perceperunt denuo inculcant, licet non raro propriæ confessioni ipsorum in studiis procedendi ratio adveretur. Cum tamen, præterquam, quod omnes illæ mixtæ & concretæ Matheos scientiæ & artes, quarum utilitatem non possunt non agnoscere, totidem ipsius puræ exempla & fructus potius, quam partes sint, dici vix possit, quantum ea aduersus Scepticam vanitatem, iniqvam fallacium præjudiciorum tyrrannidem & credulam simplicitatem mens nostra muniatur & ad attentæ meditationis tædium preferendum, ad clare percipiendum, ad solide judicandum ad promte inveniendum, & ad distincte explicandum adjuvetur. Id quod, tum summorum in Philosophia virorum testimoniis & exemplis, tum ex mentis nostræ conditione & scientiarum Mathematicarum indole de promptis rationibus comprobare, haud ita difficile erit.

Nam ut veteres commemorem, de Pythagora ex Agellio constat, optimam discipulos instituendi rationem ejusmodi ei visam esse ut eos, qui ab eo explorati & idonei inventi erant, ut in disciplinam reciperentur, ad certum tempus tacere jusserit, & que ab aliis dicebantur, audire, intra quod temporis spatium ἀναγνοὶ vocabantur: Ast ubi res rerum omnium difficillimas didicerant, tacere atque audire, & esse jam cuperant silentio eruditæ, cui nomen erat ἐχεμυθία, tum verba facere & querere queque audissent, scribere, & que ipsi opinarentur, expromere potestas erat, bi dicebantur in eo tempore μαθηματικοὶ, ab his scilicet artibus, quas jam discere argimeditari incepaverant, quoniam & Geometriam & Gnomonicam, Musicam ceterasq; item disciplinas aliores Mathematicæ Græci appellabant. Vulgus autem, quos Gentilitio vocabulo Chaldeos dicere oportet, Mathematicos dicit. Exinde his scientiæ studiis ornati ad dissipienda mundi opera & principia naturæ procedebant, ac tunc demum nominabantur Φυσικοὶ. Quæ secum perpendens Taurus gravissimus, imperante Hadriano Philosophus, haud immerito in errorem illum ju-

De scient.

Math. cap. 4.
S. 8.

ventutis prope epidemicum, ceu loquitur *Vossius*, inventur, Nunc autem, inquiens, isti, qui repente pedibus illatis ad Philosophos divertunt, non est hoc satis, quod sint omnino a. d. θεωντοι, α. μυστοι, α. γεωμετροι, sed legem etiam dant aliis, qua Philosophari discant &c. Secus se res habuit primis istis Pythagorae temporibus, ubi omne studium circa huc duo consumebatur, Mathesin scilicet & Philosophiam, quarum illa praesertim quoad fundamenta, in scholis tenera etati solebat instillari, ut animum prepararet & præstrueret ad Philosophiam, quæ adulorum ingenia exercebat. Quo referri meretur, quod *Laertius de Pythagora* tradit, γέγαπται, inquiens, τῷ πυθαγόρᾳ οὐ γέγαπται γ. παιδευτικὸν, πολιτικὸν, Φυσικὸν, quo certe trino commentario omnis istius ævi docendi, discendiq; ratio & ordo complexus videtur; Nec dubitandum est, quin παιδευτικὸν idem hic significet, quod Mathematicum, quia scilicet Mathesi, tanquam prævia institutione aditum ad utramque Philosophiam parabant & muniebant. Cæterum quanti primus iste Philosophiæ nuncupator Mathematum studium fecerit, vel ex eo satis liquet, quod, ceu refert *Apollodorus*, hecatomben immolaverit, cum invenisset trianguli, quod ὁ θογώνιον appellant, subjectum latus tantundem valere, quantum, quæ illum continerent. Tetractyn vero suam, (quæ, ceu probabilissime ab ingeniosissimo nostro Weigelio conjicitur, erat arcana & compendiosa per tetradas supputandi ratio) in tanto pretio habuit, ut amicissimis tantum suis & intimis clare & aperte, sed sub sancta silentii fide eam proposuerit. Atque hinc factum est, ut, cum Auditores ejus admirandam hujus in ventiin studiis promovendis utilitatem perspicerent, superstitiose nimis eam venerarentur, & per eam ejusque Doctorem jurare consueyerint, eandemque evulgare nefas crediderint.

Quæst. nat.
lib. 7. c. 1.

§. 6. *Democritum*, antiquorum omnium, judice *Seneca*, subtilissimum, accepimus, cum adhuc puer esset,

à Persis, quos ob reconditam sapientiam *Mugos* appellabant, Chaldaicj, à Xerxe rege Patri illius, cum apud illum hospitatus esset, eum in finem relictis, Astrologiæ scientia initiatum esse, & postea in Ægyptum ad Sacerdotes contendisse, Geometriam percepturum, atque interiora Asiae penetrantem, Chaldeorum principes per totam Persicam investigasse. Nec desunt, qui & in Indiam ac Ætbiopiam eum venisse & congressum cum literatis passim habuisse asseverent. Sed & Pythagoreorum imitatorem eum fuisse, iisque familiariter, præsertim Philolao & Leucippo usum, atque hujus sectæ autorem singulari admiratione prosecutum esse, testis est Laërtius: a quo adeo visus est accepisse omnia, ut nisi temporum ratio obitaret, illum & audivisse putaretur. Unde non excellentissimum tantum sui ævi Philosophum, civitatisque monumentum extitisse constat, sed & nostrorum temporum Philosophis palmam fere præripuisse, numerum planetarum septenario minime limitari *in lib. de sideribus vagis* asserendo. Philosophum πένταθλον, seu quinque certaminum victorem ob scientias & artes, quas maxime calluit, ab inido etiam *Anaxagora* appellatum esse ex eod. Laertius novimus. Quanti illum fecerit sapientiæ ejus admiratione impletus Hippocrates σύγχρονος ex epistolis ejus ad Abderitas, Philopomonem, Dionysium, Damagetum satis manifestum est. Proinde non immerito dolet eruditus orbis, opera ejus præsertim Mathematica & Physica penne multa & egregia, cum ab interitu ob *Platonis* invidiam ipsis imminentे vindicata essent, Aristotelis tamen tyrannidem effugere haud potuisse.

§. 7. Quantus vero ipse *Plato* Mathefeos & cultor & æstimator extiterit, is demum intelliget, qui ejus monumenta, quæ mathematicis rationibus passim distinxit, perlegerit. Nec mirum, profundissimæ eruditionis virum illas potissimum disciplinas, quæ tanta ipsi in reliquis Philosophiæ partibus addiscendis & excolendis adminicula præbuerunt, tam eximiis ornasse laudi-

laudibus, dum Arithmeticam omnibus artibus necessariam esse & ingenia acuere dixit, quæ una si ex omnib⁹ humanis artibus semoveatur, insipientissimam & amentissimam hominis naturam reddi. Quin & alibi scribit: πὶ δὲ τὸ δέ ποδὴ ἐπισκέψω, ὡς ὅτε Φύσει λογιστικὸι εἰς πάντα τὰ μαθήματα, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ὥξεις Φαινούται; οἵ τε Βραδῆς, αὖτις τάτω παιδεύθωσι καὶ χωνάσωσι, καὶ ν., μηδὲν ἄλλο ὡφεληθῶσιν, ὅμως εἴς γε τὸ ὀξύπεροι ἀντοί αὐτῶν γίγνεθαι πάντες ἐπιδίδοσιν. Nec sane minoris Geometriam aestimavit; cum binæ hæc scientiarum scalæ arctissime inter se conjunctæ sint: τόλμαί ἀντος inquiens, ηγεωμετρειη γνῶσις εἶσιν: ἐλκονάρῃ πέδος αληθειας ψυχὴν ἔιη ἄν: καὶ απεργασικὸν Φιλοσόφῳ διανοίᾳ πέδος τὸ ἄνω χεῖν, αὐτὸν καίτω, καὶ δέου, ἔχομεν. Quibus gemina omnino habet Marsili. Ficinus ejusdem interpres: Attollit Geometria ad veritatem animum, atque ita ad Philosophandum præparat cogitationem, ut ad supera convertamus, quæ nunc, contra quam decet, ad inferiora dejicimus. Quid! quod ipsis Academiæ suæ foribus inscripsit: ἀδεῖς αγεωμέτρητοι εἰσίτω. Nec aliquorum respexit, cum Mathesini περιωταιδειας vel τὴν καὶ παιδεύον ὁδὸν nominavit. Hinc Xenocrates, qui Platonis auditor & post Speusippum successor fuit, ad eum, qui neque Geometriæ, neque Musiciæ, neque Astrologiæ notitia instruētus iudicium ejus frequentare voluit, Abi, inquit, λαβάς γδ̄ Φιλοσοφίας γίγνεσθε. Atque haud incongrue veteres eandem vellut præviæ expurgationi compararunt, qua, qui imbuti non sunt, ceu profani & immundi ad sapientiæ mysteria admitti minime debeant. Sic expressæ Hierocles, καθαροὶ ψυχῆς λογικῆς, inquit, εἰσιν αἱ μαθητικαὶ ἐπιστῆμαι, & Proclus easdem scientias vocat κινητικὰς τῆς γνώσεως καὶ σύγερτικὰς τῆς νοήσεως καὶ καθαρητικὰς τῆς διανοίας.

§. 8. De Aristotele vero quid dicam? præclara ejus monumenta Mathematicis passim interspersa ratiocinis & exemplis illustrata satis arguunt, quantopere ejus iudicio hæc arriserint studia. In logicis terminos pene mul-

Lib. VII. de
Republ.

doe. cit.

vid. Diog. La-
ert in vit. Plat.
& Xenoer.

In Com. ad
Eucl. Elem.

multos & exempla quam plurima pro demonstrationibus præsertim causalibus è Geometria & Arithmetica mutuatus est, manifesto sane argumento, Matheſi tum temporis non tantum ante Philosophiam, sed & ante ejus organon, quod Logici dicunt, à pueris etiam adisci consueville, quippe qui, ipso iudice, Mathematici quidem esse possunt, minime vero Ethici aut Physici.

VI. Eth. ad
Nicom. c. 8.

§. 9. Unde sane multis indubium videtur, has ipsas scientias ideo maxime communi illo, & jam olim usitato scientiæ cujilibet acquisitæ nomine insignitas esse, quod, cum antiquissimis temporibus *Greci* primum ad literarum studia animum applicare inciperent, hæ solæ ipsis in scholis proponerentur: quia tum temporis vix alia inventæ, aut satis exultæ essent artes, quas pueri perdiscerent. Philosophiam enim non tam hi, quam adultiores & senes investigabant. Grammatica autem, Rhetorica & Dialectica posteriori demum temporum decursu, qualiacunq; principia fortitæ & in artium methodum redactæ esse videntur. Licet enim ingenium puerile difficillimas illas & concatenatas demonstrationes in Mathesi passim occurrentes capere vix possit, cum rarissimi sint, qui proprio marte cum *Pascalio* in veritatem alicujus propositionis Geometricæ difficilioris penetrare possint, prima tamen harum scientiarum rudimenta ingenii teneri vires non excedunt.

§. 10. Quemadmodum vero, si Optima ista descendendi discendique methodus in scholas & Gymnasias tandem aliquando penitus reduceretur, ineffabilem inde in literarum studia non tantum, sed & universam hominum vitam utilitatem redundaturam dudum perspexerunt viri in orbe literario celeberrimi, & ideo ut eadem restitueretur, partim exoptarunt, partim strenue laborarunt, ita sane eatenus saltim eandem revocatam esse summopere gaudent, quatenus Physicam &, quas ea complectitur scientias speciales quam plurimas sine administriculo ex Mathesi petito, aut alios docere, aut addisce-

vid. præf. opus.
eius posthumus
cujus tit. Trai-
té de l' equi-
libre des li-
queurs &c.

re velle, hodie inter adūtata numeratur. Neque tamen existimandum est, in istorum solum, qui omne vitæ tempus literis impendunt, animis eam de Matheſeos utilitate ſententiam tam altas egiffe radices, cum & aliis vi-ris illuſtribus, Principibus & Regibus hæc ſtudia adeo hisce temporibus arrideant, ut partim ipſi iis animos ap- plicient, partim munificentissimas in iisdem promoven-dis & ſuſtentandis impensas collocent. Nec amplius separata tandem Matheſi genuina à ſpuria illa, quæ ſub ſpecioso ſupputationum Arithmeticarum & diagram-matum Geometricorum habitu incautos in miſerrimos inducit errores, Astrologia nimirum, Chiromantia &c. (quarum cultores tantum mentiuntur, quantum reliqui Mathematici metiuntur) pulcerrimis hisce ſtudiis de-diti audient, ceu eft apud Tacitum, genus hominum po-tentibus infidum, ſperantibus fallax, nec de iis una cum Magis, ô diſpar conjugium! in exilium ejiciendis porro decernetur.

§. 11. Ex haſtenus autem dictis ſatis manifeſte patere existimo, maximum præ reliquis ſcientiis uſum in acuendo mentis judicio Matheſi Philosophos antiquiſſi-mos tribuiſſe. Neque etiam recentiorum plurimorum *Cartesi, Hobbesii, Claubergii, Hamelii, Malebranche &c.* egre-gia teſtimonia deeffent, quæ ad oſtendendum recentio-rum cum Antiquitate conſenſum adducere poſſemus, niſi conſultiuſ eſſe judicaremus in ſententiæ hujus tra-latitiæ cauſas potius & rationes inquirere, quam eandem ad nauſeam uſque inculcare.

§. 12. Cum nihil jucundius & homine magis dignum fit veri rectiꝝ cognitione, noſtrū omnino erit, mentem indeſinenter ad ejus investigationem intendere & ſumma eo niti ope, ut ab erroribus, quibus ab ineunte ſtatim ætate imbuimur, quantum fieri potheſt, nos expediamus, & juſticia noſtra ſingula, ad eam, quæ certiſſima eſt, amuſiſim exigamus. Quamvis enim hæc opera plenum in hac vita effectum haud ſortiatur, cum omnimodam in hi- terris

terris ab errore immunitatem sperare non liceat, id tamen consequemur, ut multo rarius à veritatis tramite aberremus.

§. 13. Æquum autem est, ut eo majori cura & assiduitate huic studio incumbamus, quo pauciores inveniuntur, qui falsas veritatis species ab ipsa veritate accurate discernere possint. Unde fit, ut omni tempore quam plurimi sint, qui falso hæreant & commenta quædam ac umbras sectentur, velut prorsus cæcutientes in vero à falso dignoscendo. Multi ideam eruditionis inanibus & abjectis cognitionibus alligant & ad scientias, vitæ integritati & judicii dexteritati perficiendæ maxime necessarias, parum attendunt. Hæc ipsis nimis vulgaria videntur, iis majori cum emolumento animum adjici auctumant, quibus apud homines plerumq; vanos & omni vera scientia destitutos inanem eruditionis famam sibi conciliare queant. Eo omnis eorum tendit cogitatio & labor improbus, Itaque enixe incumbunt studio rerum antiquissimarum, obscurissimarum extranearum & interdum mentem iis omnino mancipant, quæ tamen omnia licet in multorum animos existimationis & venerationis affectum injicient, nihilominus utilitatis & emolumenti parum præbent, interdum vero nullius plane momenti sunt, aut certe non tanti, ut posthabitum solidioribus & vel ut honeste vivas, vel ut ingenium excolas, valde proficiens scientiis, iis omne studium consecrent. Alii in aliud vitium non minus exitiosum incurrentes, ex mera socordia & imperitia meditandi, malunt ingenio alieno in veritatis investigatione uti, quam suo, & velut clausis oculis, ducem antiquum aliquem Philosophum Ethnicum sequuntur, quem vano erga antiquitatem affectu, quippe veritatem cum hac & falsitatem cum novitate confundentes, se longe perspicaciorem fuisse putant, cujus Philosophi placitis quicquid repugnat, id falsum ab ipsis judicatur, etiam si summa sit veritas, nec ulla veritas existit, aut recens detegitur, quæ in aliquo librorum ipsis recessu

vid. Agel. I.
XX. c. v.

non lateat, qui cum ut plurimum ob proprium obscuritatis studium autorum haud exigu a laborent obscuritate, in locis illorum intricatis enodandis acriter desudant, & interdum circa unius dictionis significationem vel in disquirendo, quænam fuerit autoris circa hanc illamve quæstionem sententia, tanquam pro aris & focis secum invicem litigant. Etiam si enim Philosophi istius hypotheses se tradere asserant, vix tamen duos vel tres invenies, qui circa ejus sententiam inter se conveniant. Atque vana hæc persuasio non tam inter privatos locum obtinet, ut potius videamus integra collegia & societates, ad veritatis investigationem & defensionem institutas, in sectas evasisse & doctrinam peculiarrem & propriam tenere, quam singulis membris, non raro contra rationem & experientiam, defendere incumbit; Nec quicquam haec tenus magis obstitit scientiarum, quæ in rerum contemplatione maxime consistunt, incrementis, quam immoderata unius vel alterius Philosophi, alias in se satis boni, veneratio. *Nihil unquam invenietur,* ait Seneca, *si contenti fuerimus inventis.* Præterea qui alium sequitur nihil sequitur, nihil invenit, imo ne querit. Patet omnibus veritas, nondum est occupata, multum ex illa etiam futuris relictum est. Quare oportet, suffragante Lactantio, ea in re maxime, in qua vita ratio versatur, sibi quemq; confidere, suoque judicio & propriis sensibus niti ad investigandam & perpendendam veritatem, quam credentem alienis erroribus decipi, tanquam ipsum rationis expertem. Dedit omnibus Deus pro virili portione sapientiam, ut & in audita investigare possint & audit a perpendere: Nec quia nos illi temporibus antecesserunt, sapientia quoque antecesserunt. Præcipue vero notandum est, cognitiones ejusmodi, quæ ex nudis aliorum scriptis sine accurata meditatione legendo tantum comparantur, & scientiæ memoriæ potius, quam mentis dicendiæ sunt, quam maxime inflare animos & intolerabilem cultoribus suis superbiam ingignere. Se ipsos extollunt, omnia se scire & ex aliorum scriptis hausisse existimant

Epist. 33. ad
Lucil.

Lib. II. inst.
Div. c. 8.

stimant de cunctis jus judicium ferendi sibi arrogant; quæ arrogantia illos in innumerabilem errorum numerum injicit. Omni enim rationi, qua ab illis dimoventur, aures occludunt, incerta & interdum manifesto falsa pro veris supponunt, nolentes ea ad examen revocare. Etiam si enim ipsi talia non capiant, credunt tamen ab aliis dudum ea esse intellecta & sufficienter probata: Et sic memoriam infinita rerum falsarum, obscurarum & inevidentium farragine onerant, quibus tanquam fluxis arenis, qui solida inniti poterit demonstrationis fabrica. His plane contrarium est aliud hominum gen, qui nihil certo sciri posse arbitrantur, multa scripta tam recentiorum, quam veterum pervolverunt, nec tamen ullam veritatem in illis se deprehendisse asseverant, multas & primo intuitu egregias sententias se ipsos excogitasse tentur, quæ tamen rursus, ubi ad accuratam rationis trutinam exactæ fuerunt, falsæ & incertæ ipsis visæ sunt. Persuasionem certæ alicujus de re qualibet scientiæ pro indubitato testimonio maxima stultitia & incertitudinis habent. Sic dum stulti vitant vitia, in contraria ruunt; Paucissimi enim sunt, qui in medio versentur, & ratio ne sua recte utantur, de dubiis ex prudenti quadam dif fidentia & sapienti judicii sagacitate dubitent, falsa à veris accurate discernant, & non nisi evidenter cognitis & claris assensum suum præbeant.

§. 14. Sicut autem duo isti perniciosissimi animi morbi, quam vis sibi invicem sint omnino adversi. cum alter rebus maxime obscuris & inevidentibus assentiatur, alter clare & distincte cognitis eundem assensum deneget,) eidem tamen causæ originem suum debent, attentionis scilicet defecuti & immoderatae judicandi præcipitationis; ita uno eodemque modo iis medebimur, diligentissima nimirum mentis attentione & debita judicii suspensione. Namque cum omnis humanae & naturalis cognitionis fundamentum sit: ne unquam plenum assensum præbeamus, nisi propositionibus tam evidenter veris, ut eundem ipsis absque

interna conscientia objurgatione denegare haud possumus, hinc concludimus, nos summam adhibere debere attentio-
nem, ut in omnibus nostris cognitionibus evidentiam
conservemus; ab hac enim veritas vix unquam separa-
ta deprehenditur. Evidentia autem in eo potissimum
consistit, si partes objecti singulæ omnesque relationes,
secundum quas de objecto illo judicari potest, clare
& distincte cognoscantur. Est enim attentio mentis in
ordine ad objecta intellectualia quodammodo similis a-
ciei oculorum respectu objectorum visibilium. Nam-
que sicuti, nisi quis objecta circum jacentia apercipient, o-
culos in singulas illorum partes quasi circumferat, mi-
nutissima quævis eorumque habitudines ad se invicem
cognoscere nequit: Ita, qui animum indesinenter ad
assiduum rerum examen intendere, omnibus à capite ad
calcem nucleatis & expensis, non potest, is distinctam
cognitionem nunquam assequetur.

§. 15. Cum itaque nihil magis cognitionem no-
 stram impedit, quam inconstantia illa & levitas ingenii
 humani, sive ea ex incuria, sive ex prava consuetudine,
 sive quadam mentis nostræ indole oriatur, mature &
 ab ineunte statim ætate eo niti debemus ut attentionem
 debitam & justam in rebus cognoscendis moram nobis
 comparemus. Quæ sane res non parum difficultatis ha-
 bet. Quamvis enim attentionem nobis conciliare tentem⁹
 ex eo, quod rem non nisi unam eandemque velut magni
 momenti, deletabilem & admirabilem, novam & diffi-
 lem, in qua plerique in errorem lapsi sint, nobis propo-
 namus; Quamvis tempus & locum ad meditationem
 quam maxime idoneum eligamus, & animum ab omni-
 bus affectibus & perturbationibus liberum adhibeamus,
 tanta tamen in multorum ingenii mobilitas & incon-
 stantia est, ut progredi semper & transcurrere gestiant,
 ac non nisi cum tædio in rebus hæreant, & diutius immo-
 rentur.

§. 16. Assuscendus itaque animus est, ad veri-
 tatem

tatem etiam tum , cum maxime latet , inveniendam , & difficultatibus obruta est , nec tardum nos capiat illius perpendenda .

§. 17. Non autem quicquam esse credo , quod plus eo conducat & mentis evagationem magis coercent , quam Matheſeos ſtudium . Et enim ſi vel ſemel tantum in operatione vel demonstratione quadam Arithmeticā Clauberg. in aut Geometricā errorem aliquem ex incuria commiſſeris , Log. part. 1. eo , quod non ſatis attenderis , de novo inchoanda ea- cap. 3. dem erit , quod cum valde laboriosum & tardiosum ſit , ob plurimarum operationum & demonstrationum ſpecialium , quæ ad unius ſæpe problematis aut propositio- nis ſolutionem aut probationem conſpirant , congeriem , majori ſemper ſtudebimus attentioni , ne toties fruſtra de integro eundem laborem renovare cogamur . Ubi enim ſemel a recto tramite aberratum fuit , quo diligentius & longius proceditur , eo magis etiam & longius aberratur .

§. 18. Porro inexhausta Matheſeos utilitas ex maxima lejusdem amplitudine , qua toti Philosophiæ coextenditur , evidentissime patet , adeo ut nullius rei de- terminata cognitio extra Matheſin vel ſine ejus admini- culo haberi poſſit . Etenim cum Mathesis ſit Entis , qua- tenus quantum vel quantitatis , quatenus quantitas ſci- entia , quantum autem generali ſignificatu acceptum , di- catur quicquid ulla ratione estimari potheſt , ſive imme- diate , ut rerum omnium habitudines & prædicata , v. gr. Planetarum multitudo , gravitas lapidis , pretiositas vefis , ſive mediate , ut res ipſæ , quibus iſta habitudines & prædicata , quæ estimari & determinari poſſunt , inſunt , ſive ex genere rerum naturalium , ſive moralium , ſive no- tionalium , ſive tranſcendentalium ſint , & nihil existat , vel à Deo conditum vel ab hominibus conſtitutum , quod certam & determinatam rationem non habeat , licet ea nos interdum lateat , manifestum eſt , Matheſin omnium rerum determinatam quantitatē tradendo vel in- veſtigando , non tantum toti Philosophiæ quo ad

am-

2002

ambitum, adæquari, sed & quoad rem ab ea
 haud distingui Philosophia enim, posito latissimo
 hoc & genuino Matheleos significatu, easdem res carum-
 que qualitates perpendit, & tradit, sed tantum indeter-
 minatae & denominative, non æstimative, ita quidem, ut
 quid aut qualis res sit, pronunciet, eamque prædicatis
 variis, quæ ipsi competere scientifice demonstrat, insi-
 gniat, v.gr. planetas esse multos, lapidem esse gravem,
 vestem esse pretiosam, aërem jam esse calidum, actionem
 esse præmio vel pœna dignam, declarat, quanta vero
 quævis res sit, velesse debeat, secundum hanc vel illam
 qualitatem spectata, Mathefi expendendum relinquit:
 Quæ deinde, ubi hæc definit, sciscitando incipit, quanta
 res sit? determinatam qualitatis rationem exprimens,
 ut Planetas esse tam multos, np. septem, lapidem esse tam
 magnum, tam gravem, 6. dig. 6. lib. æquari, vestem esse
 tam pretiosam, 30. flor. constare, actionem tanto præmio
 tantaque pœna dignam esse. Quantitas autem illa rea-
 liter à qualitate non differt, sed tantum est determinata
 ratio qualitatis ipsius, quemadmodum v.gr. Extensio &
 gravitas sunt duæ lapidis qualitates, quæ sunt subje-
 ctum immediatum mensurationis & ponderationis, jam
 si lapidis mensura quoad extensionem ineatur & longi-
 tudo ejus adæquet 3. digit. latitudo. 2. profunditas. 1. e-
 rit tota lapidis quantitas 6. digit. Cub. quæ nihil est a-
 liud, quam ipsa extensio seu qualitas lapidis determina-
 te considerata; eod modo se res habet cum gravitate &
 aliis lapidis, imo omnium rerum qualitatibus, adeo, ut
 qualitas nihil sit alind, quam subjectum immediatum
 secundum quod rei cuiusvis tanquam subjecti mediati
 mensura initur. Parum autem refert, sive æstimativa
 la & Mathematica prædicatorum rerum omnium con-
 sideratio conjunctim in eadem cum denominativa di-
 plina tradatur, sive separatim in distinctis disciplinis
 instituatur. Illud tamen, commodius fieri videtur,
 ubi qualitatum, hoc ubi quantitatum amplior occurrit
 consideratio. Sic plurima prædicata naturalia peculia-
 ribus

17.

ribus disciplinis scientifice tradita habemus, velut Extensionem in Geometria, motum in Phoronomia, durationem in Chronometria &c. Interdum plurimas qualitates in uno subjecto concurrentes eadem disciplina complexas videmus; ita in Astronomia. Astrorum motus, Magnitudines, numerus, figura, distantia, situs, &c. In Geographia, terræ extensio, figura, item, regionum habitudines &c. in Aerometria, Aeris gravitas, altitudo, siccitas, humiditas, calor & frigus æstimative expenduntur. Moralium prædicatorum æstimationes peculiariibus disciplinis non tractantur, sed in morali scientia statim cum consideratione denominativa conjunguntur, quamvis pretii æstimativa cognitio in ipsa Matheſi separatim tradatur, ceu ex Regulis Societatis & Alligationis manifestum est. Notionalium, ut Syllabarum, Enumerationum & Conceptuum æstimativa cum denominativa cognitione itidem conjungi solet. Cum autem duo sint rei cuiusvis principia, materiale nimirum & formale, utrumque æstimative & determinante in Matheſi pura duabus distinctis disciplinis consideratur. Materiale nihil aliud est, quam valor cuiusvis rei loco nihili positum enim præter Deum nihil sit, quod existentiā sibi ipſi largiri possit, quidquid ipſe loco nihili cogitat & statuit & ei valorem certum indit, illud vere est ens, & existit tamdiu, quamdiu ipſe hunc vel illum valorem illi tribuit. Atque ejusmodi sunt omnia, quæ in hac rerum universitate occurrunt, quæ secundum unitates eorum spectata, numerum faciunt; numerus enim concrete consideratus nihil aliud est, quam entium quorumcunque aggregatum vel multitudo. Ponit autem Deus primo immediatè quædam loco nihili, quæ substantiæ nomine insigniri solent, quoniam aliis, quæ Deus deinde mediate loco nihili sifit, substant, quæ ideo accidentia dicuntur. Singula hæc, sive sint substatiæ sive accidentia, subjecti in star considerari possunt, quibus formalitates certæ convenient, quibus ab omnibus aliis distinguuntur, Ead. vero

C

fitare.

si tantum quoad materiale considerantur, absque ullis
 formalitatibus spectantur, & primo quidem confuse &
 indiscrete, quatenus plus quam nihil valent & subjecti
 vicem subire possunt, deinde distincte & discrete, prout
 numeri rationem habere possunt, quando quodlibet eo-
 rum spectatur separatim, ut unum, ab aliis similibus obje-
 ctis distinctum, vel ut totum, quod certis partibus con-
 stat, vel ut excessus & defectus &c. atque sub certa & de-
 terminata ratione consideratur, quod sit tam magnum,
 tam multum, cum alio comparatur, quod unum altero
 sit majus vel minus, æquale vel inæquale, toties majus
 vel toties minus &c. Qua ratione materiale licet sine
 suo formali spectetur, distincte tamen & discrete per
 numerum concipitur, numero enim omnis rerum va-
 lor potissimum explicari potest. Unde Pantometria,
 prima Matheseeos puræ pars, primario quidem de nu-
 mero agit, tanquam peculiari suo objecto, cuius respe-
 ctu Arithmetica dicitur, sed & de aliis universalissimis
 prædicatis, quæ ad valorem rei alicujus determinandum
 faciunt, solicita est, de toto & partibus, dividuo & indi-
 viduo, aggregato & multiplo, defectu & excessu, majo-
 ritate & minoritate, paritate & imparitate, ratione &
 proportione &c. atque de his certa theoremeta demon-
 strat, ex quibus deinde Logistica præcepta & regulas
 eudit, ex quibus omnium rerum quantarum valor æsti-
 mari potest, & quantum una quævis respectu alterius
 valeat decerni, (1) simpliciter æstimando, numerando
 scil. quot adsint valorum unitates, si una post alteram
 sumatur, & mensurando, quanta res fit, vel juxta exten-
 sionem, longitudinem, latitudinem & profunditatem
 suam per ulnam, pedes, digitos, modios, sextarios,
 mensuras &c. vel juxta intensionem v. gr. gravitatis aut
 potentiaz per uncias, libras, centenaria &c. (2) computan-
 do i. e. vel addendo vel subtrahendo, multiplicando vel
 dividendo, aut generalius tantuplicando vel commen-
 surando. (3) supputando i. e. computando duas ratio-
 nea

nes & proportiones, quod peragitur numeris, tum expressis integris & fractis, in regula detri, Societatis, Alligationis, tum surdis in questionibus Algebraicis. Altera mathefeos puræ scientia agit de formali principio, quod est habitudo valoris ad certos scopos & operationes, unde res dicitur talis vel talis & ab aliis distinguitur. Deus enim nihil loco nihili ponit sive creat, quod non in certum aliquem finem dirigat, quem homo in effectibus & operationibus suis realibus semper imitatur. Ad illam itaque positionis, ordinis & directionis valoris ad certos effectus & scopos, ad quos producendos res illa collineat, rationem & proportionem investigandam & supputandam omnishumana sapientia tendere debet. Consistit autem ea inquisitio potissimum in eo, ut inquiratur, quorū & quomodo hic vel iste valor tendat & collineat, an istud, quod hac vel illa ratione collineat, positum & ordinatum est, recte & apte se habeat ad aliud, quod rursus hac vel illa ratione constitutum & ordinatum esse debet; quomodo res aliqua constituta, ordinata vel proportionata esse debeat, ut ad hoc vel illud, quod hac vel illa ratione se haber, apta & proportionata sit. Quæ sane supputandi ratio naturaliter velut omni homini implantata est, licet non omnes & que in ea sint exercitati, atque certis regulis artificiis & compendiis uti possint. In Geometria hæc supputatio collineationum & directionum frequentissime occurrit, neque enim hæc clarius & evidentius cognosci possunt, quam ex duilibus & tractibus linearibus. (Ex quo etiam factum est, ut generalissima hæc disciplina, quæ de directione & collineatione, rectitudine & curvitate, erectitudine & obliquitate &c. agit, & commodius Archimetria dicitur, Geometriæ nomen hactenus obtinuerit.) Unde cum ad eorum rationem reliquorum etiam directiones & collineationes exerceantur, ex ipsa sane Geometria quodammodo addiscere possumus, quomodo res gerenda sit, ut directiones & collineationes aliorum cognoscere & in-

vestigare & ad scopum feliciter pertingere possimus. Tota certe natura in operando sequitur ejusmodi collineationes & directiones, quæ nihil aliud sunt, quam certa constitutio & ordo partium & graduum qualitatis proportionatus ad effectum producendum. Ad has conformantur omnes actiones humanæ, tum internæ, consultationes, deliberationes, intentiones, meditationes &c tum externæ, Rerum publicarum constitutiones, regimina & instituta, opicia humana & artificia quæcumque. Unde quantum Mathesis pura ad rerum cognitionem conferat, quis est, qui non videat? Confer. Laudatissimi Domini Erh. Weigelii Idea Math. & Bie-nerischer Eugen-Spiegel. Aretol. part. I. no meditatio

§. 19. Quin facilis, dilucida & mentis humanæ capacitati accommodata methodus ad augendam attentionem & expeditam veritatis indagationem multum conferat, extra dubitationis aleam positum est. Ea vero in tractatione scientiarum Mathematicarum purarum præsertim, usu potius & exemplis, quam præceptis addiscitur, qua mens nostra imbuta paralogismos & cavillationes facile deprehendit & ad difficillima & intricata quævis invenienda & resolvenda promptissima redditur.

In tract. de Sic Cartesius suam in detegendis rerum difficillimarum etiam Physicarum veritatibus felicitatem haud obscure Matheseos & imprimis Geometriæ cognitioni acceptam refert, quæ ipsi solidæ demonstrationis gustum quendam, ut ita dicam, ingeneravit. Et Jac. Jabarella, ut demonstrationis naturam accuratius cognosceret & distinctius traderet, se Euclidis Elementa semel atque iterum pervoluisse fatetur. Adeo enim competit istis scientiis demonstratio, ut non æque convenire credatur aliis, unde Aristoteles, cum neque ab Ethicis, neque à Physicis apodicticas semper demonstrationes exigendas esse monuisset, solis Geometris hunc rigorem proprie convenire asserit. ut non prius inquirendo desisterent, quam per laboriosam probationum seriem ad primas causas & im-

**Metaph. cap.
ult**

media-

mediata principia per ventum fuerit. Cumque obser-
vasset, ad quantum fastigium jam suo aeo hæ scientiæ
ascenderint, & quam multas reconditas veritates illarum
cultores haetenus retexerint, ipse, ut idem etiam in aliis
multis extra Mathefin adhuc dubiis cognoscibilibus ob-
tineret, instituta diligent Mathematicarum demonstra-
tionum analysi & consideratione, ex speciali ista &
omnium confessione perfectissima demonstrandi metho-
do Mathematicorum generalem & omnibus cognoscibi-
libus communem, quatuor integris libris, quos analyti-
cos appellat, tradere est aggressus. Ubi tamen cum vi-
disset, non omnia regulis & præceptis explicari posse, sed
usum & ingenium interdum plus valere, sincere ipsos
fontes lectori indicat, unde præcepta sua hauserit, dum
pleraque pluribus vel saltim unico exemplo Mathemati-
co aut literis Alphabeticis, more Mathematicis familiariter
& proprio, probavit & illustravit. Conf. Ingeniosissimi
Dn. ERHARDI WEIGELII, *Analys. Aristotel. ex Eucl.
restituta.*

¶. 18. Nec à vero aberravit *Aristoteles*, nec in hoc
recentiores ab eodem dissentunt, quippe qui ubi regu-
las ad conservandam in perceptionibus evidentiam & ad
inquirendas veritates, etiam abditissimas, necessarias tra-
dunt, communi ore patentur; Geometras & Analystas
perpetuum earum usum admittendo veritatem nun-
quam non attingere, cum è contrario alii Philosophi in
plurimos pudendos errores sint illapsi, dum præcepta
ista utilissima neglexerunt. Sunt autem generales
eorum regulæ valde simplices & naturales, nu-
mero non adeo multæ, intellectu faciles, fæcundissimæ
tamen & utilissimæ, quæ breviter huc redeunt:
Nihil obscurum aut ambiguum in terminis esse relinquendum vel
pro vero in demonstratione admittendum, quod non certo & e-
videnter verum cognoscatur. *Ipsum questionis statum diligenter hum.*
ment. siffissime cognoscendum, alienis &, que ad questionem nihil faci-
unt, omnino rejectis. *Materiam meditationis in partes secan-*
dam

vid. Art. cogit.
pars. IV. c. 1. &
seq. Hamel. de
lib. III. c. VI, §.
IV.

dam, easq; omnes sedulo inspiciendas ac certo semper ordine esse collocandas, incipiendo à simplicioribus & cognitu facilitioribus, ut paulatim & quasi per gradus ad difficiliorum & magis compositorum cognitionem ascendatur. Nota ab ignotis secernenda esse & ex illis, id, quod queritur, eruendum: unum alerumue medium inveniendum, que sint communes mensurae ad cognoscendas relationes rerum quæsitas; Omnium conceptus, quantum fieri potest, distincte animo proponendos, vel in charta scribendos, contrahendos, & quam diligentissime conferendos & aueritas inde resultet, attendendum esse.

§. 19. Hasce leges secuti Arithmeticæ, Geometræ & Analystæ veritate perpetua comite præ cæteris gaudent. Primo enim quas Arithmeticæ & Geometria contemplatur, ideæ, clarissimæ, evidentissimæ, & simplices sunt, & perpetuam cogitandi materiam præbere possunt. Extensionis enim & numerorum ideæ velut nobiscum natæ videntur. Illa suis partibus ipsum numerum facit, & ceu infra videbimus, omnium quantorum relationes repræsentare valet. Jam, quid linea, quid superficies, quid figura, quadratum &c. sit, paucis explicari, & facile percipi potest. Mignum itaque non est, si de rebus, tam evidenter perceptis, judicia quoque tam accurata forment. Deinde non absque ingenti emolumento Geometræ nominum definitiones adhibent; his enim in omni quæstione rescindunt contentiones, quæ ex verborum ambiguitate oriri queunt, adeo ut, dum in demonstrationis progressu utuntur nomine aliquo definito, statim mentaliter substituatur illa definitio, quam animo semper præsentem habent, ut deinde nulla suboriri possit dubitatio, de quanam re aliquid affirmatum vel negatum fuerit. Porro principia suis demonstrationibus præmittunt evidenter vera, hypotheses, puta, definitiones & axiomata. Cum enim ad hypothesis vel postulatorum veritatem nihil exigi aliud videatur, nisi evidens & manifesta possilitas eorum, quæ supponuntur, sive, ut concipiamus ali-
quid

quid fieri, quod revera fieri potest, Mathematici principiorum loco suppositiones adhibent, quæ tam manifestam possibilitatem præferunt, tantaque suapte natura simplicitate constant, ut illas nemo rationis suæ compositione in dubium vocare possit. Quales sunt. v. gr. Ponatur punctum directe & via brevissima moveri ; item recta linea in altera sui extremitate fixa , altera in orbem agi, donec in pristinum situm revolvatur; duæ rectæ circa idem punctum fixum diducantur ; Possunt tres lineæ concurrere, ut spatium comprehendant ; Ponatur recta super aliam perpendiculariter servato eodem situ parallelo vel angulo ab uno extremo ad aliud excurrere ; Concipiatur, rectangulum vel triangulum circa latus immotum , aut semicirculus circa diametrum immotam moveri : Ponamus duas res idem spatium occupare & congruere. In his & similibus positionibus , cum nihil adūratō aut dōsūtō contineatur , admitti tanquam veræ possunt, cum earum veritas nihil aliud sit, quam connexionio possibilis subjecti cum prædicato. Uti v. gr. Astronomi fingunt, motus siderum esse circulares , ellipticos aut helices, licet talia ipsis sint incompta , imo falsa respectu siderum creatorum , demonstrationes tamen eorum istis positionibus innixæ , certæ sunt & veræ , non quidem respectu hujus, sed alterius mundi , quem Deus ad eum modum creare posset, si vellet. Definitiones quoque suis demonstrationibus præsternunt evidenter & necessario veras, quas eliciunt ex suis hypothefibus & nihil aliud sunt, quam propositiones, quæ nomen rei imponunt clare resultantis ex aliqua possibili suppositione, quæ in ipsa propositione expressa nomen illud determinat & circumscribit. Nam certe quod ob suam repugnantiam impossibile est, illud, neque definiri certe, neque determinari potest. Sic, ut exemplis supra adductis insistam, si ponnam , punctum directe juxta viam brevissimam moveri , lineam altero suo extremo immobilem, altero in orbem agi , duas lineas circa idem punctum diduci ;

tres

tres lineas concurrere, ut spatium intercipiant; Si concipiā, rectam super alia perpendiculariter erectam eodem semper situ usque ad alteram ejus extremitatem moveri, rectangulum, triangulum vel semi circulum circa latus aut diametrum immotam circum volvi, & singulis, quæ ex his motibus resultant, nomina imponam & primum appellem lineam, secundum circulum, tertium angulum, quartum triangulum, quintum rectangulum, sextum cylindrum, septimum conum & ultimum sphæram, erit lineæ rectæ definitio, quæ producitur ex motu puncti directo & brevissimo, circuli, quod sit figura plana, ex circumvolutione lineæ rectæ altera sui extremitate fixæ delineata &c. Similiter facile, posito, quod, quæ ex illa suppositione, quod multæ res possint idem spatium occupare & exacte congruere, resultat habitudo, dicatur æqualitas, manifesta erit hujus definitio. Axiomata quod attinet, quæ à Geometris adhibentur, sunt ea vel communia ipsis cum aliis & ex terminis statim constant, vel propria, quæ ex definitionum præcedentium veritate præsupposita per facillimam consequentiam immediate & citra ambages instar consecutariorum fluunt, ita, ut, quo illa comprobantur modo, vix advertatur, sicut plerumque fieri solet, ut quibus asfueti sumus, quomodo fiant, non sentiamus. Sic ex definitione rectæ lineæ statim innotescit, quod omnes rectæ punctualiter se intersectent, quod quævis duo plurave puncta rectæ alicujus, cum totidem alterius punctis congruant, quod duæ rectæ spatium non comprehendant. Item ex definitione circuli, quod omnes lineæ a centro ad peripheriam ductæ sint æquales: Pariter ex æqualitatis conceptu facile deducitur, quod, quæ congruunt, sint æqualia, quod, quæ eidem tertio æqualia sunt, æqualia sint inter se. Quæ quidem omnia tam clara ex se statim videntur, ut nullius non auscultantis assensum statim impetrant, neque explicita è definitionibus deductione opus habeant. Non vero claritatib[us] tantum & evidentiæ in suis principiis student

Mathe-

Mathematici, sed insuper paucitatem summam affectant, adeo, ut a multis recentiorum hoc nomine vitii accusentur veterum Mathematicorum clarissimi; quamvis ii omnino fateri cogantur, haec tanti non esse, ut propterea encomium illud mathematicis disciplinis eripiatur, quod scilicet omnium accuratissime traditæ & exultæ sint. Nimis firmissime sibi persvasum habet illud laboris patientissimum hominum genus, non posse nimiam diligentiam adhiberi primis scientiarum fundamentis firmandis; satius esse, quæ proponimus, superfluis interdum rationibus stabilire, quam in errores & paralogismos incurrere, si ea, quæ ab erroris periculo non omnino libera sunt, pro certis & indubiosis admittantur. Sane laudem potius mereri videtur sollicita eorum, quam impendunt industria, ne facile alicui effato principii dignitas deferatur, de quo dubitatio adhuc suboriri posset. Tenetur certe scientiæ alicujus doctor, si munere suo probe fungi velit, omnem scrupulum è studiosorum animis eximere, nec assensum eorum emendicare, imo etiam è præfacto, quod ipsi ultro concedere detestat, demonstrationum vi extorquere. Optimam indagandi veri methodū esse, ex simplicissimis eruere magis composita, & ex his rursus alia, ita, ut prius cognitum semper sit gradus, quo ad aliorum cognitionem ascendamus, supra innuimus. Eam vero rursus præceteris accuratissime observant, ex quæ mathematicarum nomine censentur, disciplinæ. Primo enim principia per se clara & quæ in contentionē vocari haud possunt, ceu modo ostendimus, fundamenti loco, cui omne demonstrationis robur innitat, præmittunt; Deinde nihil admittunt, quod non per legitimam consequentiam ex ipsis principiis vel aliis conclusionibus jam demonstratis, sit deductum. Unde etiam est, ut cujusvis theorematis cohærentiam & cognitionem cum principiis cernere atque ex hac de ejus certitudine infallibiliter judicare liceat. Imprimis etiam commemorandæ hic veniunt, generationes magnitudinum, quas Mathematici, ut maxime possibles, concipiunt

D

unt

Int. Ubi enim magnitudinis alicujus v. gr. parallelogrammi, circuli, parabolæ &c. proprietates indagandæ sunt, eam ab ortu considerant, & quomodo gigni possit, expendunt, ac deinde ex hac ejus genesi proprietates quam plurimas demonstrant. Sic si concipiatur circulus ex radii vel semidiametri circuductu generari, inde non tantum immediate statim fluit, quod radii circuli sint æquales, sed etiam facile deducitur, quod anguli in semicirculo sint recti, quod erecta super diametro circuli perpendiculari utcunq; hujus quadratum æquale sit rectangulo ex segmentis dictæ diametri. Proinde cum quam plurimas, quæ demonstrant, deducant ex definitionibus magnitudinum, ortus & constitutiones earum declarantibus atq; pronunciatis vel communibus omnibus quantis, vel specialibus, iisq; notissimas affectiones declarantibus, necesse fane est, ut, quæ ex talibus principiis nectuntur demonstrationes, ex forma & intima rerum constitutione procedant, adeoque sint maxime causales & apodicticæ, scientiamq; pariant, qualis quidem mens humana capax est, certissimam. Illud tamē probe notandum, quod, cum illæ magnitudinū species non una ratione, sed diversi mode generari possint, non quaslibet earum geneses æque idoneas esse, ad earum proprietates inde commode eruendas, simplicissimas & omnium minime intricatas esse optimas & fœcundissimas. Semper enim expedit quoad captum a facilioribus & familiaribus initium demonstrandi capere, licet quoad rei naturam perinde fuerit, undecunque demonstrationis auspicium sumas. Sic cū in omni magnitudinis generatione respectu ad aliquā ex ejus affectionibus involvī debeat, hæ vero arctissimo inter se nexu conjungantur, ita, ut una earum posita, reliquæ necessario consequantur ideo idem erit, sive hanc sive illam in definitione exprimas, & inde demonstrationem ordiaris. Itaque si v. gr. circulus ex debito perpendicularium aut angulorum rectorum infinitorum ductus super data linea quæ diametri loco sit, gigni concipiatur, vel totidem aliis modis, quorū affectionibus essentialibus

&

1111

& reciprocis gaudet, tum ē qualibet harum affectionū quæ in supposita generatione statim involvitur, non tantum paritas radiorū sed & omnes aliæ proprietates deducuntur, ita ut illa radiorū paritas & omnes reliquæ affectiones tum se habeant ad instar causati in ordine ad affectionem in generatione vel definitione expressam. Quia tamen negari haud potest, ex his specialibus affectionibus, quasdam esse simpliciores & cognitu faciliores, velut radiorum æqualitas manifestior & magis obvia videtur reliquis, ideo consultius est, & naturali rationi magis consentaneum, ab hac potius demonstrationis initium capere. Ingentem enim naturalis ista à simplicissimis ad perfectiora procedendi ratio utilitatem & facilitatem menti adfert in acquirenda rerum cognitione. Hinc ille apud *Platonem* de Geometria rite interrogatus, tanquam in illa scientia versatissimus respondit, gradatim quippe & ordine quæsitus, quid ex principiis & prius cognitis immediate sequeretur, facile perspicere potuit.

S. 22. His breviter ita deductis & ad animum revocatis, patet, quare quæ in mathematicis semper reperitur & sola locum habet demonstratio, in aliis scientiis, non ita frequenter occurrat, ac proinde genuina veritatem indagandi methodus ex earum argumentandi ratione non raro probabili tantum & verosimili colligi & addisci haud possit. Quamvis in illorum castra transfire minime velim, qui in solis disciplinis Mathematicis veras dari demonstrationes afferunt, in reliquis vero, Physicis præsertim & Ethicis acquiescendum esse, si conjecturales & probabiles tantum rationes adsint: Cum certū sit in illa saltim Ethices parte, quæ circa rectitudinem actionum humanarum in ordine ad leges versatur, & passim in Physicis dari demonstrationes ex certis & indubitatis principiis deductas, quæ accuratam scientiam parere aptæ sint, interim tamen diffiteri haud possumus, falsam istam de incertitudine rerum moralium & Physicarum persuasionem, quam Aristotelis autoritas non parum aluit, satis diu pulcherrimarum & utilissima-

rum istarum scientiarum incrementis obstitisse. Ex eo enim factum est, ut suspenso velut brachio traderent, quæ tam lubricis & infirmis fundamentis inniti putarunt & facile negligentibus suppetebat excusatio, talia certis demonitrationibus non contineri, ac proinde crassa tantum minerva tractari debere. Qua ratione & se & alios utilissimarum rerum cognitione defraudarunt, dum saepe quæstiones difficillimas, quamvis utilissimas sicco pede transferunt, aut duobus vel tribus verbis generalibus, & nihil certi determinantibus, decidere conati sunt, & ea saepe optime se tenere putarunt, quæ tamen vix intelligebant: De iis vero, quæ nullius plane sunt momenti, prolixissimas instituerunt contentiones & altercationes, quibus omnem operam, quæ rebus magis necessariis fuisset impendenda, inutiliter consumserunt. Interdum ipsa rerum tractandarum natura & conditio impedit, quo minus omnia ad vivum quis refecare & feliciter progredi possit. Sic cum intimæ plurium rerum physicarum constitutiones & operaciones sensibus non sint obviæ, artificiosissimæ quippe, subtilissimæ & maxime involutæ, ut non nisi ex effectibus & phænomenis inter se collatis & dextre institutis experimentis, quorum tamen rursus tanta est varietas, ut mentis humanæ captum fere excedere videantur, erui possint, earum nullas propemodum claras & perfectas Ideas sibi formare potuerunt, sed tantum ratiocinati sunt juxta Ideas confusas, quas sensuum ope percepérunt, vagas, generales & indeterminatas, quæ ad erudiendā mentem & veritatis cognitionem nihil faciunt. Hinc paucos reperies, qui eosdem sibi de rebus conceptus forment; incerti & volubiles, modo in hanc, modo in illam partem se inclinant, cumque nihilominus iisdem vocibus ad conceptus suos exprimendos utantur, in errores varios delabuntur, quandoquidem modo hanc, modo illam notionem, & non raro sibi invicem adversas iisdem nominibus alligant, uti v.gr. quod in homine cogitationis, in brutis sensus & motus, in plantis nutritio.

tionis & accretionis principium statuitur, communiam
 & nomine significant, licet, quæ sit his omnibus na-
 tura communis, divinare vix possimus. Et quidem
 in nobis principium, quo nutrimur & crescimus, an ve-
 ro res eadem sit, quæ percipit & intelligit, quæque nu-
 tritionem efficit, merito ambigimus. Eodem etiam
 modo vitæ non minus, quam animæ notio obscura est,
 & male abstracta. Sic omnes omnino termini, qui ideas
 sensibiles tantum excitant, inutiles sunt ad retegendam
 veritatem. Sunt enim valde obscuri ob insignem, qua
 laborant ambiguitatem, Philosopho indigni, quoniam
 infantia nostræ præjudiciis originem debent. Ita cum
 Physici dicunt, ignem esse calidum, parietē album, per ca-
 lorem intelligunt id, quod sentimus, dum manum igni
 admoveamus, & per colorem album id, quod videmus,
 dum parietem adspicimus, ut sibi imaginentur aliquid in
 igne & pariete, quod sit sensationibus nostris, per motum
 partium in sensibilem organis sensuum impressum, &
 inde ad animæ sedem continuatum excitatis, simile, at-
 que ita affectiones spiritus confundunt cum affectioni-
 bus corporum. Nec in Philosophia vulgari, vel certe
 raro, adhibent definitiones nominum ad ambiguitatem
 terminorum amoliendam, cum ne quidem advertant,
 illos esse æquivocos, & quas interdum afferunt, ad ma-
 lum istud amovendum, non sufficiunt, quod saepè ob-
 scurores sunt ipso definito, terminis generalibus, actus,
 potentia, formæ, facultatis &c. nil certi determinanti-
 bus constantes, ut saepè majoribus adhuc tenebris & tri-
 cis rem totam involvant. Unde cum se ipsos haud raro
 non intelligent, nunquam convenient, sed unam post
 alteram movent controversiam, super quibus summo
 animi ardore decertant, licet si ex propius inspiciantur,
 nihil utilitatis, detrimenti autem plurimum, afferant. Sic
 quæ veritatis indagandæ causa instituta fuit disquisitio,
 in disputationem deflectit & hæc tandem in meras alter-
 cationes & λογομαχίας definit. In constituendis axioma-
 tis si non prodigi, certe valde liberales nominandi

vid. Malebram
 che de Inq.
 verit. lib. VI.
 p. II. c. 2.

sunt, quamlibet fere enunciationem axiomatis dignitate
 donant. Hinc copioſa eorum ſegeſ propulſulat, quæ
 cum universaliter vera minime ſint, ſed instantiis & diſ-
 ſiculatibus quamplurimis labefactentur & ad veritatem
 aliquam detegendam non raro plane inutilia ſint, non
 immerito ab aliis rejiciuntur. Quapropter innumeræ
 conſingunt diſtinctiunculas frivolas & inaneſ, quibus
 eadem defendant. Hypotheses obtrudunt cognitu diſ-
 ſicillimas, interdum vero plane imposſibiles, nec nu-
 mero paucas, cui libet enim phænomeno explicando no-
 vam ſæpe präſtruunt hypothefin, nec ulla Philoſophorū
 ſecta existit, quæ propriis & peculiariibus ad rerum natu-
 ralium cauſas deducendas hypothefibus non utatur. Sic
 ad visionis rationem explicandam nonnulli ſupponunt,
 ſpecies quasdam vel imagines, nescio quas, à corporibus
 defluere, quæ cum ſint tenuiſſimæ entitatis in ſenſus e-
 missiæ cognitioni inſerviant. Alii vero concedi petunt,
 eſſluvia quædam ſubſtantialia velut cuticulas ſubtiliſſi-
 mas ab objectis abrasas ad oculos pervenire. Alii de-
 niq[ue] velut certum ſupponunt, a quolibet objecti viſibi-
 lis puncto motum quendam, impulſum vel niſum ad
 organon pertingere. Ordinem ſcientificum raro ob-
 ſervant, certa dubiis & obscuris, vera falsis miſcentes, ef-
 fectus per cauſas explicant, quas ipſi non intelligunt, &
 quæ omnium captum fugiunt. Jam vero indignantur,
 ſi quis eos urgeat, ut in rerum naturalium präſertim con-
 sideratione hanc methodum ſequantur, & acerrime in-
 yehuntur in recentiores, qui methodi hujus, Mathe-
 maticis ſemper uſitatæ, utilitatem perſpicientes, eidem
 conſtanter iuſtificant, & ad rerum naturas accurate co-
 gnoscendas eas in ortu conſiderant, incipientes à rebus
 ſimpliciſſimis, non quaſi Deus eundem ordinem in pri-
 ma earum creatione ſervaverit, ſed, quod, quemadmo-
 dum ad pulli naturam diſtincte cognoscendam maxi-
 me conduceit, ſi conſideremus, quo pacto paulatim ex
 ovo producatur, quomodo partes ej⁹ ſingulæ de die in diē
 for-

Formentur & perficiantur, ita, si quæ principia possint excogitari, ex quibus omnia, quæ in hoc mundo asperibili existunt, oriri potuisse clare perspicimus, hoc puto eorum naturam melius exponamus, quam sive tantum, qualia nunc sunt, consideremus. Sed quid tanta in retam clara & manifesta prolixitate opus? Sane methodum hanc ingens ad multarum rerum causas invenendas & demonstrandas momentum afferre, & cum in Mathematicis sit fructuosissima, ad Physicam etiam utiliter transferri, velex eo manifeste constare potest, quod ex quo eadem ad rerum naturalium causas indagandas exhibita fuit, majus incrementum paucis ab hinc annis huic scientiæ accesserit, quam ab aliquot retro seculis, & quæ sub obscuris occultarum qualitatum, sympathiæ, antipathiæ, facultatum attractricum &c. vocabulis diu satis latuerunt, in lucem protrahi & distinctius explicari cœperint.

§. 23. Aliud, quod ex Geometria ad rerum difficultiarum cognitionem facilitandam resultat, subsidium à sensibus & imaginatione petitur. Etenim cum tres sint percipiendi modi, quorum primus fit intellectu pure, quod sine phantasmati aut imaginibus cerebro impressis peragit, alter sensibus absolvitur, dum objecta sensibilia & materialia præsentia sua in organa corporis externa agunt, tertius denique imaginatione, qua mens res materialès absentes, tanquam præsentes, sibi proponit, imagines earum imprimendo fibris cerebri, mediantibus spiritibus animalibus, hi tamen æqualiter mentem non tangunt, nec adeo singulis ea æqualem præbet attentionem, si quidem ab iis, quæ triplici illo modo percipit, æqualiter non afficitur. Nam quæ per sensus itemque per imaginationem percipit, eam vivide ac vehementer tangunt, ac proinde totam mentis aciem versus se dirigunt; contra vero, quæ mens absq[ue] phantasmati per se ipsam statim cognoscit, eam parum excitant.

§. 24. Cum enim inde ab infantia statim, de rebus corporeis duntaxat cogitare consueverimus, atque ita prius hæc, quam immaterialia & abstracta cognoverimus, hinc animo sedet persuasio, ista revera ab illo, qui ordine procedere velit, prius esse cognoscenda, quin etiam facilius longe & evidentius cognosci, quam res immateriales. Deinde analogia Idearum omnium rerum corporearum & vestigiorum cerebro impressorum est maxime naturalis; unde mens humana per illa phantasmata in omnibus hominibus easd ideas apprehendit, prout procul dubio, dum homines diversi circulum vel triangulum aspiciunt, eandem circuli vel trianguli ideam concipiunt, nisi organorum defectus & diversitas discriminem aliquod inducat; sic inter tripudiantis, vel alias hilariter se gerentis, itemque inhumane nobiscum agentis & minitantis gestus externos in sensus nostros incurrentes, ac inter ideam gaudii, odii vel iræ, naturalis quædam connexio intercedit, quæ a voluntate nostra nulla ratione dependet; qualis inter omnium rerum immaterialium & abstractarum vestigia & earundem ideas, nec minus inter vestigia vocum & characterrum cerebro impressorum v. gr. arboris, trianguli, & ideas, quæ se menti eodem tempore objiciunt, quo cerebrum ab illis affectum fuerit, nulla concipi potest.

§. 25. Quæ cum ita sint, patet, quare veritates sensibiles, hoc est, relationes, quas corpora inter se habent facilius cognoscamus, quam relationes rerum abstractarum mutuas, quæ sub imaginationem haud cadunt, præsertim, si sint paulo complexiores, & nos iisdem cognoscendis non simus assueti. Hinc si istas rerum spiritualium vel abstractarum habitudines per relationes rerum sensibilium, linearum v. gr. repræsentare possim⁹, eas sane multo clarius & evidentius concipiemus & memoriam facilius imprimemus, sicuti mentis facultates, cum sint valde abstractæ & sub imaginationem non veniant, si per materiæ proprietates adumbrentur, harum conceptus nobis magis distincti & clari evadunt.

§. 26. Sensus igitur & imaginatiōmentem valde attentam reddunt & objectis applicant. Omnes quippe sensationes sunt in ipsa mente &, ceu recentiores loquuntur, eam modificant, quemadmodum figuræ extensionem modificant ; Ideæ autem objectorum puræ intellectio, licet etiam sint in mente, eam tamen modificare & vivide afficere haud creduntur. Inde non raro accidit, ut dum in contemplationes rerum abstractarum mentis aciem intendimus, inde vel repugnantes occursu sensationis alicujus aut affectus vehementioris, quæ eam magis afficit, arceamur. Cum enim mens nostra sit maxime finita & limitata, nec perceptioni doloris & aliarum sensationum, objectis præsentibus, earumque actione non impedita, se subducere possit, illa ab his semper fere occupata est, ut æque expedite alias res sublimiores contemplari & expendere nequeat.

§. 27. Ad hæc itaque Geometræ attendentes, per diagrammata sua, Entia Geometrica, lineas, figuræ &c. quæ immediate & directe sensum non incurunt, sed quales sint, à sola ratione colligi & dignosci possunt, duætibus visilibus in charta aut tabula exprimunt, ut habeat mens, quæ ex diuturna consuetudine nil intelligibile putat, quod non etiam sit imaginabile, in quibus operationes suas figat, & occasionem sumat de rebus ipsis judicandi & proprietates earum ac relationes eruendi. Licet etenim Diagrammata ista sint mera signa & simulacra rerum ipsarum, cum impossibile sit punctum vel linéam mathematicam in charta formare. ceu ipse Plato monet ; *Nosti, inquiens, quod formis & figuris sub aspectum lib. 6. de recadentibus utuntur, deque illis verba faciunt, quanquam mentem minime dirigant ad illas, sed potius ad illa, quorum illæ simulacra sunt, puta ad quadrangulum ipsum, aut ad ipsum diametrum in mente, non ad ea, quæ scribunt, aut subjiciunt oculis.* Diffiteri tamen haud possumus imaginationem iis valde juvari, & cognitionem promoveri, quod ipse Philosophus agnovit; τὸς Διαγεάμενος μάλλον γνωρίζειν.

E

Præ-

§. 28. Præterquam enim, quod ideæ linearum & figurarum nobis sint evidentissimæ & clarissimæ, ita, ut secundum eas potius, quam alias nos ratiocinari maxime conveniat, & mens nostra velut sponte sua ad eorum contemplationem feratur, sunt istæ velut normæ & mensuræ generales multorum, quæ scientifice tractari & cognosci possunt, adeo ut, qui linearum & figurarum proportiones & relationes ex Geometria semel rectè percepit, videatur communem quandam scientiam & universalem ad omnium aliarum rerum relationes cognoscendas sibi comparasse. Id quod optime perspectum habuere Mathematicorum antiquissimi, unde etiam ea, quæ omnibus quantorum moralium, naturalium, notionalium & transcendentalium generibus communia sunt, sæpius non generalibus & abstractis propositionibus & demonstrationibus complexi sunt, sed extensionis species & potissimum lineas & figuræ, quæ omnium, quantorum vicem gererent, substituerunt, & proprietates omnibus quantis alias communes de iis demonstrarunt: ceu cuivis patebit ex inspectione lib. II. Euclidis & lib. V.


§. 29. Ea enim pollet aptitudine extensio, ut omnium rerum, quæ magis & minus suscipiunt, & ideo considerari possunt, ut extensæ, relationes & relationum relationes distincte repræsentet. Nam, cum in infinitum augeri & minui possit, qualiscunque inter duo vel plura quanta intercedat habitudo, semper duo vel plures linæ ad eam exprimendam aptæ erunt. Itaque licet extensio unica tantum sit ex plurimis quanti speciebus, quia tamen ea aptitudine instructa est, instar omnium ratione doctrinæ esse poterit.

§. 30. Geometria igitur non immerito instar scientiæ alicujus universalis, qua ingenii & imaginationis vis acuitur & robatur & evidenter ac attentio in cognitione conservatur, habetur. Istud tamen probe observandum, ne objecta, quæ nobis vel aliis consideranda proponi-

vid. Male-
branche de
inquir. ver.
lib VI. cap.
IV. p. 1.

ponimus; rebus sensualibus nimis graventur; ut deinde mens hisce magis intenta sit, quam objectis ipsis, de quibus demonstratio sit instituenda. Deinde etiam notandum, ne dum linearum & figurarum descriptarum operae imaginationem & attentionem juvare cupimus, eam potius turbemus & cognitionem impediamus: quod contingere potest, si lineæ & figuræ tortuofæ, intricatæ & valde complexæ adhibeantur. Quales sunt lineæ parabolicæ, hyperbolicæ, helices, respectu circularis, hæc respectu lineæ rectæ, figuræ omnes angulis acutis & obtusis terminatae, respectu illarum, quæ rectis constant. Nec illud prætermittendum, non omnium rerum cognitiones per lineas & figuras absolute repræsentari posse & deberi. Multa enim præsertim in Ethicis & Physicis occurunt veritates, quæ modo hoc Geometrico tractari & exponi non debent: Interim tamen ubique ea methodus locum habere potest, potest autem sæpiissime, magna cum jucunditate pariter ac utilitate adhibetur. Id quod uno altero exemplo declarari meretur.

§. 31. Ponatur corpus A dupli motu moveri, uno horizontali versus B, & altero perpendiculari deorsum versus C, & uterque motus sit æquabilis, & uniformis, ita tamen, ut horizontalis perpendiculari sit duplo major, queritur 1) via, quam sequi debet corpus istud, & secundum quam pro-




portionem ad unam magis, quam ad alteram partem accedit. 2) omnia loca, in quibus corpus singulis momentis existit. 3) tempus, quod elapsum est, dum corpus motu suo ad certum punctum pervenit. & 4) distantia illius loci. Itaque ante omnia ducantur duæ lineæ ab A versus

sus B & C quæ indicant motus simplices & dividantur in partes numero quidem æquales, sed ita tamen, ut partes lineaæ, AB, duplo maiores sint partibus lineaæ, AC, juxta suppositionem celeritatis motus, ut adeo partes linearum, A B, & AC, indicent quantitatem tum motus simplicis tum temporis, hoc est, quod eo momento, quo, si hori zontalis motus solus esset, existeret corpus A in a, idem si perpendicularis solus esset, existat in e & sic porro. Ex quibus patet, quod cum propter motum horizontalem in primo momento mobile debeat esse in linea, *an*, & propter perpendicularem in linea *ei*, ergo in primo momento in utriusque concursu, nempe in 1. reperiatur, in secundo ob eandem rationem in 2 &c. Puncta ergo 1. 2. 3. 4. designant loca, in quibus singulis momentis corpus A motum existit, linea, AD, per puncta ista ducta indicat viam, cui insistit, itemque distantiam locorum, partes lineaæ AB, & AC, temporis momenta. Ex quibus patet, motum hunc compositum esse rectum, quia unusquisque componentium semper idem est, licet unus altero sit major, quod etiam evenit, dummodo componentes sint æquales, licet non sint iidem. Secus se res habet, si motus componentes sint inæquales nec semper iidem, tum enim via hisce motibus delineata erit curva, qualis est globi ex summitate mali demissi, aut Sagittæ ad eandem sursum perpendicularier emissæ, si navem interim motu horizontali progredi supponamus; Imo omnium oblique ad certum angulum 15. 20. 45. grad. sursum projectorum & rursus delapsorum. Cum enim motus sursum projectorum eadem proportione minuatur, quo descendentium acceleratur np., prout Galilæus eleganti itidem diagrammate Geometrico declaravit, secundum proportionem numerorum imparium, ita, ut, si corpus aliquod uno momento ascendendo (descendendo) absolverit 9. (1.) ped, altero absolvat 7. (3) tertio 5. (5) quarto 3. (7) quinto 1. (9) & proinde tam in ascensu, quam in descensu alter componentium, nempe perpendiculari.

A d. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100. 101. 102. 103. 104. 105. 106. 107. 108. 109. 110. 111. 112. 113. 114. 115. 116. 117. 118. 119. 120. 121. 122. 123. 124. 125. 126. 127. 128. 129. 130. 131. 132. 133. 134. 135. 136. 137. 138. 139. 140. 141. 142. 143. 144. 145. 146. 147. 148. 149. 150. 151. 152. 153. 154. 155. 156. 157. 158. 159. 160. 161. 162. 163. 164. 165. 166. 167. 168. 169. 170. 171. 172. 173. 174. 175. 176. 177. 178. 179. 180. 181. 182. 183. 184. 185. 186. 187. 188. 189. 190. 191. 192. 193. 194. 195. 196. 197. 198. 199. 200. 201. 202. 203. 204. 205. 206. 207. 208. 209. 210. 211. 212. 213. 214. 215. 216. 217. 218. 219. 220. 221. 222. 223. 224. 225. 226. 227. 228. 229. 230. 231. 232. 233. 234. 235. 236. 237. 238. 239. 240. 241. 242. 243. 244. 245. 246. 247. 248. 249. 250. 251. 252. 253. 254. 255. 256. 257. 258. 259. 260. 261. 262. 263. 264. 265. 266. 267. 268. 269. 270. 271. 272. 273. 274. 275. 276. 277. 278. 279. 280. 281. 282. 283. 284. 285. 286. 287. 288. 289. 290. 291. 292. 293. 294. 295. 296. 297. 298. 299. 300. 301. 302. 303. 304. 305. 306. 307. 308. 309. 310. 311. 312. 313. 314. 315. 316. 317. 318. 319. 320. 321. 322. 323. 324. 325. 326. 327. 328. 329. 330. 331. 332. 333. 334. 335. 336. 337. 338. 339. 340. 341. 342. 343. 344. 345. 346. 347. 348. 349. 350. 351. 352. 353. 354. 355. 356. 357. 358. 359. 360. 361. 362. 363. 364. 365. 366. 367. 368. 369. 370. 371. 372. 373. 374. 375. 376. 377. 378. 379. 380. 381. 382. 383. 384. 385. 386. 387. 388. 389. 390. 391. 392. 393. 394. 395. 396. 397. 398. 399. 400. 401. 402. 403. 404. 405. 406. 407. 408. 409. 410. 411. 412. 413. 414. 415. 416. 417. 418. 419. 420. 421. 422. 423. 424. 425. 426. 427. 428. 429. 430. 431. 432. 433. 434. 435. 436. 437. 438. 439. 440. 441. 442. 443. 444. 445. 446. 447. 448. 449. 450. 451. 452. 453. 454. 455. 456. 457. 458. 459. 460. 461. 462. 463. 464. 465. 466. 467. 468. 469. 470. 471. 472. 473. 474. 475. 476. 477. 478. 479. 480. 481. 482. 483. 484. 485. 486. 487. 488. 489. 490. 491. 492. 493. 494. 495. 496. 497. 498. 499. 500. 501. 502. 503. 504. 505. 506. 507. 508. 509. 510. 511. 512. 513. 514. 515. 516. 517. 518. 519. 520. 521. 522. 523. 524. 525. 526. 527. 528. 529. 530. 531. 532. 533. 534. 535. 536. 537. 538. 539. 540. 541. 542. 543. 544. 545. 546. 547. 548. 549. 550. 551. 552. 553. 554. 555. 556. 557. 558. 559. 550. 551. 552. 553. 554. 555. 556. 557. 558. 559. 560. 561. 562. 563. 564. 565. 566. 567. 568. 569. 570. 571. 572. 573. 574. 575. 576. 577. 578. 579. 580. 581. 582. 583. 584. 585. 586. 587. 588. 589. 580. 581. 582. 583. 584. 585. 586. 587. 588. 589. 590. 591. 592. 593. 594. 595. 596. 597. 598. 599. 590. 591. 592. 593. 594. 595. 596. 597. 598. 599. 600. 601. 602. 603. 604. 605. 606. 607. 608. 609. 600. 601. 602. 603. 604. 605. 606. 607. 608. 609. 610. 611. 612. 613. 614. 615. 616. 617. 618. 619. 610. 611. 612. 613. 614. 615. 616. 617. 618. 619. 620. 621. 622. 623. 624. 625. 626. 627. 628. 629. 620. 621. 622. 623. 624. 625. 626. 627. 628. 629. 630. 631. 632. 633. 634. 635. 636. 637. 638. 639. 630. 631. 632. 633. 634. 635. 636. 637. 638. 639. 640. 641. 642. 643. 644. 645. 646. 647. 648. 649. 640. 641. 642. 643. 644. 645. 646. 647. 648. 649. 650. 651. 652. 653. 654. 655. 656. 657. 658. 659. 650. 651. 652. 653. 654. 655. 656. 657. 658. 659. 660. 661. 662. 663. 664. 665. 666. 667. 668. 669. 660. 661. 662. 663. 664. 665. 666. 667. 668. 669. 670. 671. 672. 673. 674. 675. 676. 677. 678. 679. 670. 671. 672. 673. 674. 675. 676. 677. 678. 679. 680. 681. 682. 683. 684. 685. 686. 687. 688. 689. 680. 681. 682. 683. 684. 685. 686. 687. 688. 689. 690. 691. 692. 693. 694. 695. 696. 697. 698. 699. 690. 691. 692. 693. 694. 695. 696. 697. 698. 699. 700. 701. 702. 703. 704. 705. 706. 707. 708. 709. 700. 701. 702. 703. 704. 705. 706. 707. 708. 709. 710. 711. 712. 713. 714. 715. 716. 717. 718. 719. 710. 711. 712. 713. 714. 715. 716. 717. 718. 719. 720. 721. 722. 723. 724. 725. 726. 727. 728. 729. 720. 721. 722. 723. 724. 725. 726. 727. 728. 729. 730. 731. 732. 733. 734. 735. 736. 737. 738. 739. 730. 731. 732. 733. 734. 735. 736. 737. 738. 739. 740. 741. 742. 743. 744. 745. 746. 747. 748. 749. 740. 741. 742. 743. 744. 745. 746. 747. 748. 749. 750. 751. 752. 753. 754. 755. 756. 757. 758. 759. 750. 751. 752. 753. 754. 755. 756. 757. 758. 759. 760. 761. 762. 763. 764. 765. 766. 767. 768. 769. 760. 761. 762. 763. 764. 765. 766. 767. 768. 769. 770. 771. 772. 773. 774. 775. 776. 777. 778. 779. 770. 771. 772. 773. 774. 775. 776. 777. 778. 779. 780. 781. 782. 783. 784. 785. 786. 787. 788. 789. 780. 781. 782. 783. 784. 785. 786. 787. 788. 789. 790. 791. 792. 793. 794. 795. 796. 797. 798. 799. 790. 791. 792. 793. 794. 795. 796. 797. 798. 799. 800. 801. 802. 803. 804. 805. 806. 807. 808. 809. 800. 801. 802. 803. 804. 805. 806. 807. 808. 809. 810. 811. 812. 813. 814. 815. 816. 817. 818. 819. 810. 811. 812. 813. 814. 815. 816. 817. 818. 819. 820. 821. 822. 823. 824. 825. 826. 827. 828. 829. 820. 821. 822. 823. 824. 825. 826. 827. 828. 829. 830. 831. 832. 833. 834. 835. 836. 837. 838. 839. 830. 831. 832. 833. 834. 835. 836. 837. 838. 839. 840. 841. 842. 843. 844. 845. 846. 847. 848. 849. 840. 841. 842. 843. 844. 845. 846. 847. 848. 849. 850. 851. 852. 853. 854. 855. 856. 857. 858. 859. 850. 851. 852. 853. 854. 855. 856. 857. 858. 859. 860. 861. 862. 863. 864. 865. 866. 867. 868. 869. 860. 861. 862. 863. 864. 865. 866. 867. 868. 869. 870. 871. 872. 873. 874. 875. 876. 877. 878. 879. 870. 871. 872. 873. 874. 875. 876. 877. 878. 879. 880. 881. 882. 883. 884. 885. 886. 887. 888. 889. 880. 881. 882. 883. 884. 885. 886. 887. 888. 889. 890. 891. 892. 893. 894. 895. 896. 897. 898. 899. 890. 891. 892. 893. 894. 895. 896. 897. 898. 899. 900. 901. 902. 903. 904. 905. 906. 907. 908. 909. 900. 901. 902. 903. 904. 905. 906. 907. 908. 909. 910. 911. 912. 913. 914. 915. 916. 917. 918. 919. 910. 911. 912. 913. 914. 915. 916. 917. 918. 919. 920. 921. 922. 923. 924. 925. 926. 927. 928. 929. 920. 921. 922. 923. 924. 925. 926. 927. 928. 929. 930. 931. 932. 933. 934. 935. 936. 937. 938. 939. 930. 931. 932. 933. 934. 935. 936. 937. 938. 939. 940. 941. 942. 943. 944. 945. 946. 947. 948. 949. 940. 941. 942. 943. 944. 945. 946. 947. 948. 949. 950. 951. 952. 953. 954. 955. 956. 957. 958. 959. 950. 951. 952. 953. 954. 955. 956. 957. 958. 959. 960. 961. 962. 963. 964. 965. 966. 967. 968. 969. 960. 961. 962. 963. 964. 965. 966. 967. 968. 969. 970. 971. 972. 973. 974. 975. 976. 977. 978. 979. 970. 971. 972. 973. 974. 975. 976. 977. 978. 979. 980. 981. 982. 983. 984. 985. 986. 987. 988. 989. 980. 981. 982. 983. 984. 985. 986. 987. 988. 989. 990. 991. 992. 993. 994. 995. 996. 997. 998. 999. 990. 991. 992. 993. 994. 995. 996. 997. 998. 999. 1000. 1001. 1002

dicularis uniformis haud sit, nec alteri horizontali, quippe quem supponimus uniformem, æqualis esse possit, necessario via, quam delineat istud corpus, erit curva, & ceu ex figura patet, designabit lineam parabolicam. Et enim cum corpus A. ex una parte sursum projectum (ex altera rursus descendens) primo momento ascensus, (descensus) motu perpendiculari, si solus esset, absolvatur, spatium 9. (1) pedum A a(B^e) & secundo momento spatium 7. (3) ped. ab (ef.) &c. & si solus esset motus horizontalis, iisdem momentis existat in D & E, (I & K,) adeoque ob rationem supra in fig. 1. ad ductam motu ex utroque composito primo momento perveniat ad punctum 1(5) altero ad punctum 2(6) & sic porro, manifestum est, lineam, quam describit per singula ista puncta & plura alia, quæ decur-



rit, fore parabolam. Atque hoc non geometrice tantum demonstrari potest, sed etiam oculis ipsis subjici, prout id præstitit Romer Parisiis in observatorio Regio machina quadam ad eam rem confecta, in qua hydrargyrus per breviorem tubum parabolas in pariete delineatas ad singulos elevationis gradus percurribat. Quod experimentum deinalia machinula non minus ingeniose exhibuit Perrault.

vid. Ham.
Phy Gen.
Tract. I. Diff.

§. 32. In Astronomia hospes omnino sit neesse est, qui quantum cognitionem motuum & revolutionum Planetarum ac aliorum Phœnomenorum figuræ Geometricæ adjuvent, ignorat. In Mechanicis, si scire velis, quomodo duo pondera in æqualia qualiacunque in æquilibrio mediante vecte aut statera servari queant, dummodo notum sit commune illud Mechanicæ principium,

quod scilicet pondera, si velint in æquilibrio confervari, distantia eorum ab ansa cum iisdem reciprocam debent habere proportionem, totum negotium linearis duætū commodissime explicari poterit, sumta scilicet distantia ponderis majoris ab hypomochlio, eademque tonnes translata in partem lineæ, quæ alterum vectis crux repræsentet, quoties minus pondus in majori continetur, vel inventa quarta proportionali, & habebitur distantia minoris ab ansa, in qua majus in æquilibrio sustinere poterit. Ubi simul ad oculum patebit quod, si in hac positione minus pondus majus attolleret, vel ad unus digiti spatium ipsum debeat vel hujus decuplum currere, quod nosse in Mechanicis non parum interest. In Opticis radiorum reflexorum & refractorum in diversis mediis vias distincte concipere vix poteris, nisi ductibus linearibus & methodo certis experimentis nixa & in ea scientia tradi solita delineetur, atque ita imaginationi exhibeat. In Musicis cum ex duarum chordarum pariter tensorum longitudine, juxta certam proportionem differente, sonorum ab iis productorum secundum gradus acuminis & gravitatis deprehendatur habitudo determinata chordarum proportioni mirifice respondens, ideo rectis lineis exprimi poterit. Atque hæc, ceu puto, sufficere possunt, ut intelligamus lineas & figuræ Geometricas aptissimas esse ad repræsentandas imaginationi quantorum relationes.

msH bl.
692 v. 11
MS. 1. 8. v. 11
wid. Malebr.
I.c. cap. V. p. 1. §. 33. Eodem nomine & Arithmeticæ ac Analyseos speciosæ utilitas commendanda venit, Arithmeticæ enim & ipsi Analystæ, qui res abstractas solummodo considerant, imaginatione valde utuntur, ut mentem suam earum ideis intendant. Signa Arithmeticæ, literæ alphabeticæ & alii characteres, quos oculis ipsis subjicere & imaginari queunt, alligando ideis, quas de rebus habent. Nec minus omnes quantorum relationes numeris exprimi poterunt. Sunt autem istæ duplicitis generis, relationes nimirum æqualitatis & inæqualitatis.

tatis. **I**stas quod attinet, simul ac cognoscimus res ipsas esse inter se æquales, relationes etiam earum accurate cognoscimus : Sed de his aliter se res habet. **Q**uamvis enim certo sciam, agrum majorem esse 12 decempedis, minorem tamen centum, illius nihilominus agri magnitudo & ratio ad unam decempedam distincte nondum comprehenditur. Opus itaque est communi & accurata norma & mensura ad deprehendendas & æquandas relationes, qualis est unitas, qua & ejus partibus, omnia possumus metiri & æquare, eam iterum iterumque addendo aut subtrahendo. Quid enim significat metiri, nisi magnitudinem numero notificare vel exprimere. **M**έτρον γδ ἐπι, inquit X. Met. Cap. I. Aristoteles, ὡς ποσὸν γνωσκεται, οὐτώσκεται, οὐτὶ οὐδέρθυω τὸ ποσὸν, οὐτὶ ποσὸν. Unitatis enim aut numeri ratio latissime patet, ut in omni quanto spectari possit & omnis valor eo explicari. Unde non immerito numerus sermo Mathematicorum dicitur, & Arithmeticæ pro scientia valde generali habetur, cum etiam de prædicatis valde universalibus agat, de æqualitate & inæqualitate, defectu & excessu, mensura, ratione & proportione &c. ceu supra innuimus. Omnibus autem constat illas mentis operationes ad cognoscendas rerum relationes necessarias nullibi frequentius & dexterius exerceri, quam in Arithmeticæ. Ubi tamen existimandum non est, in numeris tantum eas locum habere, sed in omni rerum genere, quæ addi aut subtrahi possunt.

§.34. **I**stud indubium est, multis dari operationes ad cognoscendas rerum relationes necessarias, quæ sine Arithmeticæ ope & signorum Arithmeticorum usu peragi haud possunt : Præsertim si sint paulo complexiores & propriae.

§. 35. Mens enim nostra valde augustis terminis circumscripta est, nec potest pluribus rebus simul esse intenta, Nam quemadmodum una cera portio non potest simul plus

res

res figuræ recipere, quin una alteram confundat, ut figuræ tantosint confusiores, quanto plures eidem fuerint impressæ: Ita mens non potest simul plures res percipere, sed quo plures numero diversæ in ead. erunt cogitationes, tanto erunt obscuriores.

§. 36. Ista vero angusta mentis capacitas, quamvis vere & physice eam extendendo augeri non possit, nihilominus, si ea dextre utamur, ad quod, ceu diximus, Arithmeticæ & Analyseos imprimis speciosæ ope perducimur, Ideas rerum contrahendo, & in charta ordine exprimendo, in cognitionem veritatum maxime complexarum penetramus. Nec enim illa scientia leges, quas supra in indaganda veritate maxime observandas esse innuimus, accuratius observat, quam Analysis, admiranda illa Mathematicorum Logica, ad quam solam fere pertinet illa de modo contrahendi rerum compositarum ideas & adeo mentis capacitatem augendi regula. Methodus in ea observari solita est plane admiranda: Rem ignotam jam inventam, fingit eamque sub arbitrarie imposito nomine tanquam jam cognitam tractat, & paucorum axiomatum generalium ope, adhibito judicio & circumstantiis in quæstione contentis probe observatis, duo æqualia eruit; Inde ex utraque parte vel addendo vel demendo æqualia vel multiplicando aut dividendo per idem, aut utrinque radices extrahendo, rem eo deducit, ut ex una parte nota rei fidæ & quæsitæ sola compareat, & ex altera ejusdem valor verus habeatur. Adhibent autem Analystæ signa quædam universalia, potissimum literas Alphabeticas, quarum singulis peculiares respondent termini, qui non raro sunt valde complexi, interdum figuræ, corpora &c. qua ratione magnitudinum & quantorum velut in angustiam redactorum tractationem faciliorem reddunt, & imprimis ad complexas eorum relationes eo melius & præcisius percipiendas multum conferunt. Etenim cum Analystæ mentis suæ angustiam agnoscentes perspexissent, ingenium eorum non posse simul ad multas figuræ

guras & solida præsertim complexiora attendere, & ea di-
stincte sibi repræsentare, inde ne nimia figurarum & linea-
rum multitudine & varietate obruatur & confundatur literis
alphabeticis omnibus notis & familiaribus ideas eorum alli-
gant, lineam quamcunque verbī gr. exprimentes per a vel
vel b quadratum ejus per aa ; cubum per aaa vel a^3 , paral-
lelo grammum per ab , parallelepipedum per abc , trian-
gulum per $\frac{1}{2}ab$, si basis dicta fuerit b & altitudo a , circulum
per $\frac{\pi}{4}ea$, si diameter dicatur a & circumferentia ea &c.
duorum quantorum homogeneorum rationem quamcun-
que per e & ea , b & ib , d & od , ita, ut nomen rationis sit e , i
vel o , proportionem continuam per a , ea , ee , discretam
per b , ib , d . id. Ubi statim ad oculum patebit, facta ad-
ditione & multiplicatione, quod si sint tria continue propor-
tionalia, factum extremorum sit æquale quadrato medii,
&, si sint quatuor quæcunque proportionalia, quod factum
extremorum sit æquale facto mediorum & vice versa, & si sint
quatuor ejusmodi proportionalia, ea etiā sint proportionalia
inversæ, alternatim composite, convertendo, divisim & per syl-
lepsin. Sic si radicem aliquam duabus literis expressam, $a+b$,
primo quadrate, deinde cubice multiplicaveris, ita ut qua-
dratum sit, $aa + 2ab + bb$, & cubus, $a^3 + 3aa b + 3ab b + b^3$, ipsis lite-
ris expressas habebis regulas extrahendi radices, tum qua-
dratas, tum cubicas altius alias deducendas, & semel per-
ceptas facile rursus oblivioni tradendas: ac præterea eadem
opera, si, $a+b$, ponatur pro toto ex duabus partibus, a , &
 b , composito, ad oculum patet, quod si totum sit divisum
in duas partes quascunque, quadratum totius æquale sit qua-
dratis partium, una cum duplo facto partium in se invicem,
&, quod cubus ejusdem sit æqualis cubis partium, & præte-
rea triplici quadrato unius partis in alteram ducto, & vicis-
sim hujus triplici quadrato in illam ducto.

§. 35. Atque hæc pauca adducere placuit, ut intelli-
gatur, hujus scientiæ terminos ideas & ratiocinationes mire
contrahere ipsasque velut sensibiles reddere & oculis ipsis

ingerere, memoriam impense Juvarę & multum superare utilitatem diagrammatum, quibus triangula & quadrata vulgo exprimuntur, atque Logisticæ numerosæ longe antecelle-re speciosam, cum magno sæpe labore & spatio temporis non exiguo in problematis difficilioribus resolvendis, illa opus habeat, quæ hæc absque ullo temporis laborisve dispendio præstat. Imo fuerunt quædam quæ neque per Arithmeticam, neque perullam aliamscientiam investigare poterant, quæ tamen postea per Analysis inventa sunt. Sane Cartesius ejus ope, quæ ante eum nullus Mathematicorum enodare potuit, plene & perfecte solvit, ut hoc nomine ingenium ejus ii etiam, quibus alias Philosophia ejus valde displicebat, non potuerint non admirari. Et jam ante eum Viæta in Isagoge sua non minus vere, quam gloriose pulcerrimæ hujus scientiæ subsidiis nixus pronunciare ausus est, se posse nullum non problema solvere. Quorum vestigia deinde alii legentes, Joh. de Witt, Joh. Huddenius, Franciscus à Schoten, Erasmus Bartholinus, Brunkerus, Wallius, Scotus, Renatus Franciscus Slusius, Backerus, egespecimina partim peculiaribus scriptis comprehensa, partem Geometriæ Cartesii annexa ediderunt. Nec dubium est, si pergant Philosophi recentiores Analystarum methodo insistere & interdum etiam, ubi rerum conditio permittit ipsum calculum adhibeant, quin multas adhuc veritates abstrusas & hactenus imperceptas eruant. Est enim Analysis speciosa vere scientia universalis, quæ modum docet inveniendi alias scientias & artes, unde non immemo rito ars inventrix appellari posset.

S. D. G.

Corol-

Corollaria.

1. Non tantum corpus, sed & animum exercuerunt Olympici certatores.
2. De Patria Caroli M. certi quid affirmare non audemus.
3. Consideratio causæ finalis a quibusdam ex Physica male exesse jubetur.
4. Sensus Brutis denegari haud debet.
5. In poëmate non requiritur fabula.
6. Orator non abhorret a demonstrationibus, quamvis eæ ab eodem minime semper sint exigendæ.
7. Difficile est, perfectam causæ in genere definitionem tradere.
8. Quaternarius causarum numerus diurna potius traditione, quam firma quadam ratione se commendare potest.
9. Voces sunt signa ex instituto significantia.
10. Posito appetitu societatis in homine, non inde statim sequitur, hominem natura ferri ad. societatem civilem.

F 2

II. Ma-

- 44^o
- 11. Majestas a legibus positivis libera est.
 - 12. Vita & fama pari passu non ambulant.
 - 13. Illa pro Principe & Republica honestissime & rectissime, si necesse est, poni potest, hujus vero intrinsice & fundamentaliter spectatae dispendium neg₃ pro Principe neque pro Republica faciendum est.
 - 14. Distinctio Capitum in hodiernis Bibliis usitata non est addita ab ipsis librorum Autoribus secundariis.

F I N I S.

